



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro singulis Anni diebus

Complectens Aprilem, Majum, Junium

Nepveu, François

Monachii, 1709

Dies 27. De suprema perfectione Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60514)

Majus

Melius mihi est absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini. *Daniel. 13. 23.*

Angelos, & angelorum Dominum, in lucta, quæ tibi cum diabolo est, spectatores habes. *Ephrem.*

DIES XXVII.

De Summa Dei Perfectione.

I.

Quid est Deus? Est, inquit S. Thomas, natura quædam adeò perfecta, ut perfectius concipi nihil possit. Comprehendit enim in se, sed modo nobilissimo omnes perfectiones visibiles, & non visibiles, quæ in tota natura vel inveniuntur, vel inveniri possunt. Congere, quidquid est perfectionum, & pulchritudinum in omnibus creaturis sive corporeis, sive spiritualibus, quæ fuere, sunt, & esse possunt, si Deus ijs in infinitum perfectiores procrearet; dic tamen cum S. Augustino: omne hoc pulchrum est, sed non sicut tu, Deus meus. Vel potius dicito: hoc pulchrum non est. Hoc turpitudine est Deo meo comparatum. Et sanè, si exiguus ductus venustatis, qui in misera invenitur

tur

tur Creatura, cor meum inescare, imò fa- Majus
scinare potest, quàm longè alia species fa-
scinationis est, quòd omnium pulchritudi-
num congeries, quæ modo tam perfectò in
Deo invenitur, cor meum lucrari, & in
sui amorem trahere non possit? cur ad fi-
tim meam extinguendam quæram aquæ
cænolæ guttam, cùm inexhausto fonte a-
quæ vivæ satiare me possim?

II. Deus in se comprehendit omnes
perfectiones sine vel minimo defectu. Bo-
nus est sine qualitate; magnus est sine
quantitate; immensus est sine extensione;
æternus sine spacio temporis; in omnibus
locis est, quin ijs circumscribatur; semper
agens, & in quiete semper; immutabilis,
& omnia mutans; immobilis, & omnibus
tribuens motum; incomprehensus, & o-
mnia comprehendens; prospiciens omnibus,
sed absque sollicitudine; zelum habens, sed
absque indignatione; iram habens, sed
absque acerbitate; odium habens, sed abs-
que commotione; amorem, sed absque
cupiditate; desideria, sed absque indigen-
tia. Quid perfectius? Deus nos amavit,
inquit S. Augustinus, licet defectibus es-
semus pleni, etsi nihil nisi turpitudine ipsa
essemus; si in ipso defectum aliquem inve-
niamus, contentus est, etsi se non ame-

Majus.

mus. Verùm si omne id, quod defectu caret, omne id, quod perfectum est, amari meretur, quò sit, ut, cùm æquè parùm possimus non amare, quod amabile est, quàm non videre, quod visibile est, solus tamen Deus infinitè amabilis non ametur, imò dicere ausim, odio habeatur?

III. Deus omnes has perfectiones in se comprehendit non tantum sine defectu; sed etiam modo excellentissimo possidet eas sine limite, cùm sit infinitus; sine indigentia, cùm sit naturæ ipsius plenitudo; sine permissione, cùm sit actus (ut vocant) purus; sine distinctione, & divisione, cùm sit natura simplicissima; sine vicissitudine, cùm sit immutabilis; sine acceptione rei cujuscumque ab alio, cùm à nemine pendeat, & ab ipso pendeant omnia; sine timore eas amittendi, cùm omnes ipsi sint ingenerate, ipsèque sit ex essentia sua talis. Ah! Domine, quis similis tibi? Potèstne igitur aliquid esse, quod tantum à me amorem, & reverentiam mereatur, quantum tu?

Statue nihil amare, nisi Deum, cùm is in se comprehendat, quidquid amabile est, pulchrumque, & amabile nihil sit, nisi per ipsum.

Ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia. Rom. 11. 36.

Cur

Cur ergo vagaris, quærendo bona ani-
mæ tuæ, quære simplex bonum, in quo
sunt omnia bona, & tibi sufficit. *Anselm.*
c. I. 25. *Prof.*

Majus.

FESTUM

Ascensionis Domini Nostri.

I.

Mysterium Ascensionis mysterium est
separationis. Christus Dominus,
cùm terram relinquit, invitat nos ad eam
pariter relinquendam. Unde sic Aposto-
lus concludit. *Si consurrexistis cum Christo,*
quæ sursum sunt, quærite, ubi Christus est, in
dextera Dei sedens: quæ sursum sunt, sapite, *Coloj. 3. 1.*
non quæ super terram. Spiritus Christianis-
mi spiritus separationis est: omnia eò nos
dirigunt. Si Servator noster in Cælum
ascendit, id eò factum est, ut discipulos
suos ab amore nimis naturali, quo in i-
psius ferebantur humanitatem, separaret.
Si spiritus sanctus super eos è cælo descen-
dit, id factum est, ut eos terram fastidire
doceret. Sic primi Christiani à mundo pe-
nitens soluti terram intuebantur, veluti via-
tores, & advenæ, ut proin mundus ipsis
exilij esset locus: corpus suum carcerem

M 5

repu-